

Sic & Stephanus Angelicum jam fastidium induerat, maxima pulchritudo ex benevolentia in hostes. De Christo D. ait Isaias 63. n. 1. Quis est iste, qui venit de Edon...

Non vellem præterire, quod satis ingeniosè notavit ciatius Emiffenus præallegato loco: Dat Deus factiobis tentator inficis sua gloria minifer.

Secundo, prius Stephanus suum spiritum Deo commendat: Domine suscipe spiritum meum, deinde pro inimicis orat; quia solus ille, qui totus spiritus est in Deo...

QUÆSTIO XXXIX.

Quare D. Stephanus pro se primo orat, deinde pro inimicis, cum Christus L. prius oraverit pro inimicis, deinde secundo pro se?

332. Upro se, dicens: Domine Iesu suscipe spiritum meum, deinde pro inimicis: Postis autem genibus clamavit voce magna: Ne statuas illis hoc peccatum.

333. Respondeo, quia cum Christus D. esset impeccabilis per naturam, & à iustitia non posset excidere, de se erat maxime securus, & de peccatorum salute multum sollicitus...

334. De qua excellentissima virtute elegantissime ait Eusebius Emiffenus serm. de S. Stephano: Quid agit Fidei magnitudo, qua non vincitur a malo, sed vincit in bono...

QUÆSTIO XL.

Quare D. Stephanus clamans voce magna rogat pro inimicis, & dat spiritum?

337. Stephanus positus genibus voce magna clamat: Ne statuas illis hoc peccatum; hanc divinam vocem didicit à suo divino Magistro Christo D. nam cum meus Iesus penderet in Cruce clamavit: Pater dimitte illis...

338. Præterentes blasphemabant: Salva te ipsum si Filius Dei es, Marth. 27. n. 40. Iesus vero clamans dicebat: Pater ignosce illis: Ad ostensionem divinæ Filiationis petebant illi, ut se ipsum salvaret...

339. Scribit D. Marc. 15. n. 37. quod Iesus emissa voce magna expiravit. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.

340. Hebr. 11. Sanguis Christi postulat misericordiam. Gen. 4. n. 10. at sanguis Christi clamat, ac postulat pietatem, indulgentiam, ac remissionem peccatorum.

341. D. Fulg. Oratione Stephani lucratu Saulus irridens. Aduh grassabatur; & jam pro illo Stephanus exaudiebatur. Et ubi nostra vulgata habet: Saulus erat consentiens neci eius; Arabicus legit: Erat letus de nece eius.

342. Occum. Baron. Oecumenius in præfenti existimat, non solum Saulum, sed multos alios ex lapidantibus per has Stephani preces fuisse ad fidem conversos, & gratiam & salutem animæ comparasse...

QUÆSTIO XLI.

Quare mors D. Stephani dicitur obdormitio?

343. Cum exorasset Stephanus pro suis inimicis, Domine, ne statuas illis hoc peccatum, obdormiit in Domino: Syriacus: Recubuit in Domino. Alii ex Græco: Requievit in Domino.

Tamen de Stephano, non dicitur, dormiit, ut de aliis iustis, sed obdormiit, qui quidem dicendi imodus indicat aliquâ peculiarem, suavemque dulcedinem in ipsa morte, tamquam inter brachia Domini...

345. Non solum Stephanus in suo transitu dicitur dormiit, sed etiam inter lapidantium manus D. Aug. serm. 92. de Diversis ait: O somnus pacis, qui inter lapides inimicorum dormiit! Jactabantur saxa, lapides tamquam aquarum imbres credebant, vulnera, & ictus infligebantur, membra in frustra cadebant...

346. Stabat magnus noster Athleta inter furibundos lapidantes, & positus genibus clamavit voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, & cum hoc dixisset obdormiit in Domino. Cum hæc vox tantæ charitatis plena esset, ac si ad ultimum perfectionis apicem pervenisset, obdormiit; seu recubuit tamquam in florido, ac per jucundo lecto.

347. Clamat Anima Sancta, Cant. 2. n. 4. & 5. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem; Fulcite me floribus, stipate me malis. Cum Anima sancta vidit in se charitatem perfectam, & ordinatam, primo tendens in Deum, deinde in proximum, & inde in inimicos, quid sequitur: Fulcite me floribus, stipate me malis.

CAPUT VIII.

- 1. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, qua erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samaria præter Apolos.
2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.
3. Saulus autem devastabat Ecclesiam per domos intrans, ac trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam.
4. Igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes Verbum Dei.

- 5. Philippus autem descendens in Civitatem Samariae predicabat illis Christum.
- 6. Intendebant autem turbae his, quae a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes, signa quae faciebant.
- 7. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exiebant.
- 8. Multi autem paralytici, & claudi curati sunt.
- 9. Factum est ergo gaudium magnum in illa Civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in Civitate magus, seducens gentem Samariae, dicens se esse aliquem magnum.
- 10. Cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quae vocatur magna.
- 11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magis suis dementasset eos.
- 12. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.
- 13. Tunc Simon, & ipse credidit: & cum baptizatus esset, adhaerebat Philippo: Videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.
- 14. Cum audisset Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem.
- 15. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum.
- 16. Nondum enim in quinquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.
- 17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.
- 18. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens.
- 19. Dae & mihi hanc potestatem, ut cuiuscumque imponerem manus, accipiat Spiritum sanctum: Petrus autem dixit ad eum.
- 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.
- 21. Non est tibi pari, neque fors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo.
- 22. Penitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.
- 23. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.
- 24. Respondens autem Simon dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quae dixistis.

- 25. Et illi quidem testificati, & locuti: Verbum Domini redibant Ierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.
- 26. Angelus autem Domini loquutus est ad Philippum dicens: Surge, & vade contra Meridianum, ad viam, quae descendit ab Ierosolyma in Gazam: haec est deserta.
- 27. Et surgens abiit. Et ecce vir Aethiops Eunuchus, potens Candacis Regina Aethiopum, qui erat super omnes Gazas ejus, venerat adorare in Ierosolyma.
- 28. Et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam.
- 29. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjungere ad currum istum.
- 30. Accurrens autem Philippus audivit legemem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis, quae legis?
- 31. Qui ait, & quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, & sederet secum.
- 32. Locus autem Scripturae, quem legebat, erat hic: Tamquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce; sic non aperuit os suum.
- 33. In humilitate iudicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra via ejus?
- 34. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc: de se, an de alio aliquo?
- 35. Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.
- 36. Et dum veni per viam, venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?
- 37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum.
- 38. Et iussit stare currum, descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.
- 39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.
- 40. Philippus autem inventus est in Azoto, & pertransiens evangelizabat Civitatibus cunctis donec veniret Caesarem.

ARGUMENTUM.

Mortuo Stephano exoritur magna persecutio in Ecclesia, & convertitur Samaria; & in eo Simon Magus, qui intendens dona Spiritus sancti emere pecunia graviter increpatur a D. Petro. Eunuchus Reginae Candacis baptizatur a Philippo Diacono.

- Act. 8. n. 1. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quae erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudaeae, & Samariae praeter Apostolos.
- Num. 2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum super eum.
- Num. 3. Saulus autem devastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam.
- Num. 4. Igitur, qui dispersi erant, pertran-

sivit Evangelizantes Verbum Dei.

Versiones CUM EXPOSITIONE I.

Verf. 1. Facta est autem in illa die. Syriac. Facta est per illud tempus persecutio. Cum dicitur in illa die, more Hebraico dies pro tempore ponitur, ac proinde a die mortis Stephani, & per tempus subsequens a Iudaeis contra Christianos vehementer exorta persecutio. In Ecclesia id est contra Ecclesiam, sic legit D. Chrysostr. Adversus Ecclesiam. Aethiop. Contra domum Christianorum. Quid

deinde sequitur; Omnes dispersi sunt. Nempe fideles aliqui se in fugam dederunt iuxta Domini mandatum: Cum persecuti vos fuerint in una Civitate, fugite in aliam. Et alii etiam sub latebris se absconderunt. Per regiones Iudaeae, & Samariae. Syriac. Per pagos Iudaeae, atque ideo inter Samaritanos. Et subditur: Praeter Apostolos, ut Ecclesiam Christi incipientem firmarent, & Iudaeorum Synagogam destruerent.

Verf. 2. Curaverunt autem Stephanum. Syriac. Collectam autem in arcam. Arabic. Tulerunt autem Stephanum. Alii ex Graeco comp. curaverunt. Quae omnia significant verbum curaverunt; quod dicit corpus defuncti ablucere; & ungeri, lineis componere ac ad sepulchrum deferre, ac sepelire. Pagnin. Tigurina: Curaverunt una, seu pariter, veluti communi consensu. Viri timorati. Syriac. Viri fideles. Arabic. Viri Religiosi, & omnia redunt in eundem sensum; nam in Scriptura pietas, religio, ac timor idem valent.

Fecerunt planctum magnum super eum. Syriac. Planxerunt super eum vehementer. Aethiop. Luxerunt propter eum magno lacrimis. Prosequuti sunt eum multis lacrymis, utpote destituti optimo parente, & magna fidelium frequentia funebrem pompam celebrarunt.

Verf. 3. Saulus autem devastabat Ecclesiam. Syriac. persequabatur Ecclesiam Dei. Intendens illam, ait Lyranus; annihilare; ac destrueret. Per domos intrans. Tigurina intrans domesticam. Pagnin. per singulas domos, praeter furore; ac ita per singulas domos, anguloque Christianos scrutans perquirebat, sive viros, sive mulieres; nemini parceret. Tradebat in custodiam. Syriac. Tradereque carceri. Aethiop. Incarcerabat omnes Christianos. Quamvis Saulus furore, ac ira exardesceret in fideles, non excedebat suam commisionem, non interficiebat, sed incarcerabat; ut sibi erat mandatum.

Verf. 4. Igitur qui dispersi erant pertransibant. Syriac. Perambulabant. Condecorabant, illustrabant praedicatione Divini Verbi, seu, ut habet Arabic. Annuntiabant sermonem praedicationis. Ecce cur divino inspirante Spiritu fideles vendiderunt omnia sua, & eorum pretia ad pedes Apostolorum deferrebant, Act. 4. n. 34. non solum ut in hoc ingens eorum charitatis fervor ostenderetur; sed etiam ut expeditiores, & a nullo detenti facilius pergerent per regiones praedicantes Verbum Dei.

QUAESTIO I.

Quare mortuo Stephano tam dura, & crudelis persecutio contra Ecclesiam exorta est?

6. Mortuo Stephano Iudaei tamquam ejus sanguine ebrii facti sunt, tamque gravissima persecutio, ab eis mota, contra Ecclesiam orta est, ita ut Nicanor Diaconus cum Stephano occisus sit, ut dixi c. 6. q. 6. & refert Dorotheus in Synopsi. Cum Stephano, & Nicanore, aliisque Christianis fere ad duo millia interfecit sunt, & magnam fuisse multitudinem indicat Paulus; Act. 2. 6. n. 10. Cum occiderentur detuli sententiam. Loquitur in plurali, & haec fuit prima persecutio.

Sub hoc tempore, ut cohit ex revelatione Gamalielis, & refert Lucianus de Invent. S. Stephani, quod Nicodemus ex eo, quod esset Christi discipulus a Iudaeis fuisset privatus suo principatu, & ab eis anathematizatus, & extra Synagogam eiecit, ac in exilium pulsus, & idem fere scribit Nicetas Philosoph. orat. de Invent. S. Stephani.

Et etiam sub hoc tempore, ut existimat Baronius tom. 1. Annal. ex Historia Vaticana, atque ex actis S. Mariae Magdalene. quod ipsa cum sorore sua Martha, ac fratre Lazaro, atque Maximino, Marcella pe-

dissequa, & Josepho ab Arimathia, & alii, a Iudaeis in navi sine velis, & remis ad infallibile, certumque naufragium omnes expositi sunt, tamen Dei providentia ad Massiliam appulsi sunt, ibique fidem Christi mirabiliter plantarunt. Josephus ab Arimathia Dei nutu in Britanniam transivit, & ibi in pace Christi quievit: Lucius Dexter in Chronico tardius id contigisse affirmat, nempe an. Christi 48. quod aliquibus confirmat documentis, Francisc. Baverius in Comment. Mortuo Stephano dura sane, & crudelis persecutio exorta est in Ecclesia Dei; erat enim illius Stephanus strenuissimus Dux, ac fortissimus propugnator. Doctissimi Iudaeorum dispuantes cum Stephano non poterant resistere sapientiae, & spiritui; qui loquebatur in eo, Act. 6. n. 10. ac proinde mortuo tam robustissimo bellatore Iudaei sibi habebant persuasum posse destruire; ac dissipare totam Ecclesiam Dei. Percurram Pastores, & dispergentur oves gregis. Mth. 2. 6. n. 3. 1. Cum aegrotaret Elifaeus infirmitate, qua & mortuus est; descendit ad eum visitandum quia Rex Israel; Et fiebat coram eo, dicebatque Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga ejus, 4. Reg. 1. 3. n. 14. Tot profusus lachrymis Elifaei mortem deplorabat Ioas, non ex amoris affectu erga Prophetam, sed quia ex mortuo in magnum periculum se, suumque regnum incidere pro certo habebat; nam ejus praesentia erat illis magni munimen, qua destituti, omnia facile in praecipitium ruerent. Lyranus ait: Fiebat coram eo, quia vita illius multum valebat ad defensionem sui regni. Dicitur Gen. 2. 1. n. 9. Cum vidisset Sara filium Agar Aegyptia indentem cum Isaac filio suo dixit ad Abraham: Ejice ancillam, &c. Qui ludus vel erat Idolorum fabricatio, vel aliqua contentio rixosa, vel aliquid simile, quae strepitum, rumeurque importaret, sed cur hoc solum vidit Sara, & non potius Abrahamus, qui valde sollicitus erat pro tota sua familia, ut advertit D. Ambros. lib. de Abrahamo: Ismael, quamvis esset ingenij depravatus, nihil tamen inordinatum in Abrahami praesentia audebat perpetrare, sed ejus absentiam praestolabatur, ut venenum suae pestiferae indolis evomeret. Salvianus lib. 2. de Gubernat. ait: Depravata nequitia latebras notitium perquirat, & magnorum praesentiam exhorrescat.

QUAESTIO II.

Quare exorta persecutio tot, tantique fideles dispersi sunt?

Debachante tanta persecutionis procella dicitur in Textu, quod omnes, qui erant in Ecclesia dispersi sunt per regiones Iudaeae, & Samariae qui in tanto extiterunt numero, ut conjecturet Baronius tom. 1. Annal. dispersorum numerum ad quindecim millia. Cum autem dicitur omnes, intellige; secundum sui majorem partem, aliqui enim remanserunt, qui curaverunt Stephanum verf. 2. & Saulus persecrator per domos, & viros, ac mulieres tradebat in custodiam verf. 3; omnes, qui erant magis noti, ac habiti discipuli Apostolorum, ita Carthus. hic Eusebius lib. 1. Historiae cap. 1. ait: Qui erant antiquiores fideles, Caietan. inquit: Sermonem esse de iis, in quibus descenderat Spiritus sanctus in variis linguis in die Pentecostes; ac proinde omnes veniunt in hunc sensum; qui magis noti, & cogniti erant fideles, vel qui se commode non potuerunt abscondere.

Cum autem dicitur in Textu: Dispersi sunt per regiones Iudaeae, & Samariae, intellige primo ad has regiones, deinde ad alias diversas regiones praedicantes Evangelium; & hoc testatur ipse D. Lucas infra cap. 1. n. 19. & ait: Illi quidem, qui